



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. LV. Alia liberandi se à peccatis mortalibus media, quæ sunt
occasionum, peccatorumque venialium fuga; examen conscientiæ;
mortificatio, & meditatio, summatim proponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

curitateque in hoc iudicio comparere queam. Hac ratiocinatione Christianus ad timendum diuinum iudicium moueri, & ad fugienda peccata, bonaque facienda opera animari debet. Atque hoc est, quod nos S. Spiritus per Ecclesiasticum admonet, vnicuique dicens: *a Ante iudicium para iustitiam, id est virtutes, & sancta opera, tibi.*

a Ecclic. 19. 18.

Alia liberandi se à peccatis mortalibus media, quæ sunt occasionum, peccatorumque venialium fuga, examen conscientia, mortificatio, & meditatio, summam proponuntur.

C A P. LV.

PRæter hæc media, quæ proposuimus, & omnia summi momenti, utilitatisque, vt se homo à peccatis mortalibus liberet, esse ostendimus, sunt alia, & ipsa ad hunc finem perutilia, ac necessaria, de quibus plenè egimus in hoc libro de imitatione IESV Christi,

sti, nec non in libro de profectu spiri-
tuali; & idcirco hinc ea tantum innue-
mus, ad loca ipsa, vbi plenè illa tracta-
uimus, nos referentes. *a* Horum re-
mediorum primum est, fugere occa-
siones peccatorum mortalium, quales
sunt praua societas, officium, ars, pro-
fessio, commercium, negotiumque pe-
riculosum, otium, mollis tractatio cor-
poris, aspectus, & conuersatio mulie-
rum, aliaque id genus, per quas ordi-
nariè solent homines in peccata mor-
talia incidere. Cum fugiamus peri-
cula corporalis vitæ, quæ necessariò
finienda est, æquius, ac rationabilius
est, nos vitæ spiritualis animæ, quæ fi-
nem non habet, pericula fugere. Scri-
ptum enim est ad nostram instructio-
nem: *b* *Qui amat periculum, in illo per-*
ibit. Et dicitur illud reipsa amare, qui
id non fugit, sed voluntariè se in ipsam
conijcit. Vetuit in lege Deus delictum
Idololatriæ; à quo vt remotiores es-

D d 5 sent,

a *De imit. p. 3. tr. 6. c. 6.* *b* *De profect.*

Spirit. tr. 2. cap. 15. tr. 4. cap. 40. 41.

b *Ecclie 3. 27.*

sent, præcepit filijs Israël, ne, cum gentiles vicissent, de illorum auro, nec argento acciperent; hinc enim illi sua Idola fabricabant. Et cum quidam milites tempore Machabæorum aliquid de huiusmodi auro, argentoue accepissent, miserè in bello occubuerunt: *a Inuentumq; est sub tunicis interfectorum de donarijs Idolorum, & manifestum omnibus factum, ob hanc causam eos corruisse; quamobrem omnes benedixerunt iustum iudicium Domini.* Vult iustissimus Deus, vt non solum peccatum mortale, sed etiam occasiones, vnde ipsum peccatum sequatur, fugiamus; & illos, qui eas non fugiunt, punit, permittendo, vt in spiritali conflictu à Dæmonibus, inimicis suis, vincantur, mortemque culpæ, ac damnationis æternæ incurrant. *b* S. Chrysostomus hanc in occasionibus fugiendis diligentiam, suadet testimonijs Christi, qui prohibuit non solum adulterium, sed etiam mulieris aspectum, ex quo primùm sequi-

a 2. Mach. 12. *b* D. Chr. serm. 11. in c. 7. ad Rom.

quitur internum adulterij desiderium, ac postea est etus. Neque solum homicidium prohibuit, sed etiam iram, unde illud existit. Neque solum prohibuit, periurium, sed etiam iuramenta sine necessitate, quæ sunt illius radix. Atque hoc est, quod nobis benedictus Dominus illis tantæ exaggerationis verbis præcepit: *a Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te*, quasi diceret (vt S. Hieronymus, S. Chrysostomus, alijque Sancti explicant) si res, quas in hoc mundo amas, magnæque æstimas, & quibus ad humanam vitam indiges, quæque tibi sunt instar manuum, pedum, & oculorum, fuerint tibi peccandi occasio, rejice illas, & quàm longissimè ab eis recede: *melius enim est nudum à bonis, amicis, solatijs, commodisque humanis in calumia ingredi, quàm abundantem bonis, amicis, varijsque commoditatibus, & oblectamentis circumdatum mitti in ignem*

D d 6

In-

a. *Matth. 18, 3.*

Inferni. Hoc modo Christus nos peccatorum occasiones fugere docuit; & sic omnes Sancti, hominesque iusti, quos imitari debemus, admodum perfectè sunt executi. *a* Aliud remediũ, quo se homo à peccatis mortalibus liberet, est, quantum humanitus potest, venialia peccata fugere. Quæ enim ampliùs ad peccatum mortale disponunt, hominiquè maius in id cadendi periculum creant, sunt peccata venialia aduertenter, ac deliberatè comissa. Nam cum ista feruorem charitatis, deuotionem cordis & orationis, meditationisq; voluntatem auferant, anima in tepefeit, ac debilitatur; adeoque surgentibus contra eam fortibus tentationibus facilè vincitur, & occiditur opere, vel consensu peccati mortalis. Hoc est, quod Ecclesiasticus dicit: *b* *Qui spernit modica peccata, paulatim in maiora decideret.* Idque confirmant omnes Sancti diuino lumine,

&

a De hoc in Prof. tr. 4. c. 24. & in append. cap. 14. De imit. p. 2. tr. 1. cap. 11. 12.

b Ecclie, 19. 2.

& experiētiā, quæ clarè sic esse ostendit, edocti. *a* Ita S. Gregorius, *si curare, inquit, parva negligimus, insensibiliter seducti. audenter etiam maiora perpetravimus.* S. Augustinus declarat hoc quibusdam similitudinibus, dicens: *b* *Bestia plerumque minuta multæ, si homini nocere non desinant, eum necant: & multæ gutta aquæ subrepentes in sentinam, & per negligentiam derelictæ, implent navem, atque submergunt.* Sic multa peccata venialia, si non corrigantur, etsi per se non interimunt, nec submergunt animam, tamen disponunt eam ad faciendum mortale peccatum, quo moritur illa, & in æternum perit. Hæc vna ex magnis Diaboli versutijs est, qui huius tanti damni, quod dant peccata venialia, gnarus, persuadet Christianis, parum referre illa facere, quodque ex ijs damnum, ac malum sequitur, valdè extenuat, sicque trahit ipsos ad consentiendum multis pec-

D d 7 catis

a D. Greg. l. 10. mor. c. 14. *b* D. Aug. de decem chordis, c. 11. Epist. 108. ad Selenianam.

eatis mortalibus, per quæ eos captiuos tenet, & in damnationē æternam perducit. S. Pater Marcus Eremita notauit hanc Dæmonis fraudem hisce verbis: *a Modica delicta admodum eleuat, & extenuat Diabolus: alioqui enim ad maius malum, aut vitium hominem adducere non posset.* Et S. Doctor Thomas Aquinas de hac eadem Dæmonum astutiâ præmonuit, dicens: *b Dæmones prouocant homines ad peccata venialia superflui risûs, & ad alias huiusmodi leuitates, ut eos ad sui familiaritatem attrahant, & sic deducant in eos peccatum mortale.* Propter has causas Sancti multum laborârunt in suadendo Dei seruis, vt sint admodum diligentes in fugiendis venialibus peccatis. Primò ac præcipuè, quòd sint offensæ Dei, Domini infinitæ bonitatis, qui que tot nos beneficijs obstrictos tenet: Deinde propter hoc damnum, quod animæ important, disponendo eam ad
con-

a D. Marc. l. 1. de lege spirit. num. 96. in Biblioth. tom. 5. b D. Th. 1. 2. q. 89. a. 4 ad 3.

consentiendum peccato mortali. Homi-
nibus, qui non incæperunt seriò ser-
uire Deo, necesse non est suadere, vt
peccata venialia fugiant; si enim se,
non retrahunt à peccatis mortalibus,
quæ animam occidunt, & damnant,
neque persuadetur illis, vt venialia,
quæ neutrum faciunt, relinquunt. Hoc
istis persuaderi admodum necessariũ
est, vt peccata mortalia odio habeant,
ea timeant, fugiant, de quæ illis pœni-
tentiam agant. Ac propter hos præci-
puè institutus est præsens tractatus, in
quo grauitatẽ, & damna peccati mor-
talis exposuimus. Iis verò, qui de pec-
catis mortalibus egerunt pœnitentiã,
Deo quæ seriò seruire cæperunt, neces-
sarium, ac perutile est suaderi, pecca-
torum venialium fugam, vt sese in ac-
ceptã gratiã conseruent, Deo fideles
sint, & in virtute crescant. Et cum his
loquuntur Sancti, quando cum multã
exaggeratione fidelibus suadent, vt
peccata venialia timeant, ac fugiant;
quemadmodum facit S. Ephræm hisce

ver-

verbis: *a* Vos hortor, obtestorq³, fratres, ut non solum à grauioribus peccatis ac vitijs temperetis, quod quidem vos facere noui; sed etiam ab illis, quæ parua apparent, ac leuia, quæ tanquam minimi, ac nullius momenti, ferè ab hominibus negligi, sperniq³ solent, quasi nulla de similibus reddenda foret ratio; cum interim per eiusmodi, nos perdere etiam querat Diabolus, omni ergo diligentia ac studio etiam in minimis illis dolos, atq³ insidias Diaboli caute, ut cum Christo sempiternam gloriam fruamini. Hæc S. Ephræm. *b* Aliud valdè excellens, & ad liberandum se à peccatis mortalibus perutile remedium est, ordinarium examen conscientia. Dum enim homo quolibet vespere in cor suum intrat; quæque eo die fecit, dixit, cogitauitque examinat, mouetur ad pœnitentiam culparum admissarum, & si pœnitentia sit contritio, earundem, licet mortales sint, veniam consequitur: firmiterque vitæ emendationem proponit, & humili oratione

auxi-

- a* D. Ephr. tom. 1. c. de intemperantiâ.
b De hoc in Prof. in append. c. 10.

auxilium à Deo impetrat, vt in ipsius gratiâ liber à peccatis mortalibus perseverare possit. Hic enim examinis effectus; quapropter illud Sancti omnibus Fidelibus vehementer commendant. Et S. Chrystomus loquens cum hominibus valdè occupatis, eosque ad examen nequaquam omittendum animans, hæc verba dicit: *a Diurno tempore conscientiam tuam examinandi spacium non habes. Cum autem in lectum te coniecisti, rationem ab animâ tuâ posce, & dic ei: Exegimus hodiernam diem, anima: quid boni fecimus, aut quid mali admisimus? Et si quid te vel sermone, vel opere, vel desiderio peccasse deprehenderit, propone in corde tuo emendare te, nec amplius ad id reuerti: desle illud, & cetera omnia peccata tua, quæ per omnem tuam vitam commisisti, cum intimo dolore, & Deum tuum veniam, misericordiamque roga, a q³ obsecra, & hac ratione animam tuam in lecto à peccatis mundare poteris. Ita S. Chrystomus.*

Alte-

a D. Chr. tom. 1. Ps. 50.

Alterum de cælo traditum, ac per-
 necessarium remedium, quo se homo
 à peccatis mortalibus liberet, est car-
 nis omniumque appetituum, & pas-
 sionum mortificatio. Siquidem om-
 nia peccata committuntur ex amore,
 ac desiderio alicuius boni, gustûsque
 temporalis, vel ad molestiam aliquã,
 & pœnam corporis, animæue fugien-
 dam: Homo igitur abstinens se per
 mortificationem à temporalibus ob-
 lectamentis, ac gustibus, & res mole-
 stas, carni, propriæque voluntati con-
 trarias amplectens, excidit per illam
 radices peccatorum, itaque ab his se
 liberat, & in Dei seruitio, gratiæque
 conseruat. Significauit hoc S. Petrus,
 dicens: *a Christo in humanâ, quam as-
 sumpsit, naturâ passus, & vos ipsius Fi-
 deles, contra vitia, passionisque eadem
 cogitatione patiendi armamini, casti-
 gando, mortificandoque carnem, &
 pœnas ad illius imitationem perferen-
 do: quia qui sic patitur, desinit à peccatis,
 ut iam non secundum carnis desideria,*

sed

a 1. Petr. 4. 1.

sed secundum Dei voluntatem vivat. a
Ultimum ad fugienda peccata reme-
dium est oratio mentalis, & diuina-
rum rerum consideratio. Verum est,
vt à Deo auxilium, ac fauor ad bene
viuendum, operandumque impetre-
tur, quodlibet orationis, siue mentalis,
siue vocalis genus, dum ex corde cum
debitis conditionibus fiat, admodum
sufficiens, ac potens, & in homine iusto
valdè meritorium, Deoque gratū esse:
Sed vt cor Christianum moueatur ad
habenda odio, abhorrendaque pec-
cata, ad castigandum se, & mortifican-
dum propter ipsa, ad capiendum, re-
tinendumq; firmum propositum exe-
quendi in omni re Dei voluntatem, &
ad renouandam in omnibus, ac per
omnia vitam suam, vtque se ad reci-
piendam à Deo communicationem,
abundantis luminis, quo mysteria il-
lius sentiat, & magni roboris, quo om-
nes tentationes vincat, & copiosa in-
fusionis diuitiarum, suauitatisq; amo-
ris

*a De hoc in Prof. tr. 5. De imit. p. 1. tr. 5.
0. 52. p. 2. tr. 7. c. 40.*

ris eius disponat, efficacior, ac potentior est oratio mentalis, in quâ attentè, viuâq; cum Fide diuina mysteria considerantur, & in contemplationem veniunt. Hoc manifestauit experientia, & vita, ac doctrina Sanctorum, idemque nos sacra scriptura docet. Ac propterea præcepit Deus filiis Israël, ne contenti essent solùm audire legem Dei, ac memoriâ tenere, sed meditentur, & considerarent eam, essetque hæc consideratio tam continua, vt *sedentes in domibus, & ambulantes in itinere, dormientes, atq; consurgentes*, non desinerent meditari illam, haberentque sensibilia signa, quibus ad hanc sanctam considerationem excitarentur. *a* Sic ostendit Deus, quanti referat, quamque utilis sit diuinorum mysteriorum meditatio ad retrahendam à peccatis animam, & in diuinæ legis sustodiâ conseruandam; quemadmodum Dauid fassus est, dicens: *b Nisi lex tua meditatio mea fuisset, hoc est, nisi in meditandâ, contemplantâque*

diui-

a Deut. 6.7. & 11.13. b Ps 118.92.

diuinitatis tuæ potentiâ, bonitate, & sapientiâ, quæ in lege tuâ nobis manifestantur, occupatus fuiffem, iam *in humilitate meâ*, id est, in meis ærumnis, tribulationibus, ac tentationibus *perixiffem*; nam eæ me in peccata impuliffent, à quibus per legis tuæ considerationem liberatus sum.

Hæc sunt media, quibus Christianus à Deo adiutus se à peccatis mortalibus liberat: estque res certa, Deum hoc auxilium abundè illis omnibus dare, qui eo vti volunt, media ista de cælo tradita adhibendo. Felices, ac beati erunt Fideles, qui à Deo hac ipsius, Sanctorumque eius doctrinâ instructi, moniti que, grauitatē, & damna peccati mortalis considerauerint, & fenserint, & his remedijs, quæ ipse Deus nobis contra illa dedit, diligenter vfi fuerint. Reuera enim vitam agent liberi à tam graui, tamque enormi malo, quàm est peccatum mortale, & à seruitute, captiuitateque tam crudelium inimicorum, quàm sunt Dæmones, conseruabunt gratiam, & amicitiam

citiam

636 *Tract. de grauit. peccati mortalis.*
citiam Altissimi Dei, facient cum pu-
ritate cordis opera grata eius oculis,
glorificabunt altitudinem nominis ip-
sius, & testimonium dabunt amoris,
quo Deus ipsos, tanquam dilectissimos
filios, prosequitur, nec non aeternæ,
quam de illis fecit electionis, ad bea-
titudinem, quâ fruuntur vnâ cum IESV
Christo Domino nostro, qui viuit,
& regnat per omnia secula
seculorum, Amen,

* *
*

T I N I S,

•
ou-
is,
ip-
is,
nos
æ,
ea-
ESV
?

D
quo
Dei a

A
uinā
sump
sint u

P
quæ

D
nece

C
licia
Dec
dam

In
mor
decl
Deu

A
S. S.
iuri
87